

1762

Ill/me ac R/me Domine.

De negotiorum ubique Chinensium laeto ex Dei benignitate succes-  
su aliis ex me litteris, et etiam aliorum sermonibus multa intelle-  
xerit Ill/ma D.V. His solum intercedere cupio pro Gerardo Selessino  
5 Leodiensis honesti civis filio qui ad Collegium Germanicum aspirat.  
Is visus est mihi non tantum commendatione dignus, sed dignus etiam  
quo alumno sibi Collegium Germanicum posset gratulari propter exi-  
mias animi dotes; nam praeter mores aetate sua dignos eò in studiis  
profectus est ut brevi sumptu temporisque jactura Collegii finem  
10 assecuturus esse speretur. Is enim in Academia Ingolstadiensi pri-  
mum emenso Philosophiae curriculo locum obtinuit et ex eo tempore  
biennium Jurisprudentiae dedit. Nunc vero quia de statu seculari  
priora consilia deposuit, ad theologica studia convertitur, nisi  
prius ineat Societatem cujus audio illum esse recens candidatum,  
15 ideo quod etiam in Indicem messem operam suam locare desiderat. Haec  
mihi satis esse videntur ut Collegii Germanici alumnus esse cum  
laude et Ecclesiae fructu possit; maxime quod pleraque hic a me  
scripta consuetis testimoniis probata Ill/mae D.V. reddentur. Quam  
Ecclesiae suae incolumen diu conservet. Leodii 20. Novemb. 1616.

Ill/mae ac R/mae D.V.

Servus humillimus

Nicolaus Trigautius

(adresse):

Ill/mo ac R/mo Dno D.Roberto Bellarmino S.R.E.Cardinali etc.

Romae

(cachet)

(manu Bell.): Admodum R/do Patri, P. Nicolao Trigautio, Sacerdoti Societatis Jesu. Laeodium.